

Petrus de Vinea

*Ep. I 33 (Audita, summis
expetita consiliis...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. I 33 (Audita, summis
expetita consiliis...)*

giugno 1243

Fridericus, domino papae, de promotione sua, significans se pariturum mandatis suis per nuntios et legatos suos

1. Audita, summis expetita consiliis et ardentibus desideriis expectata, noui substitutione pontificis, in uenerabilium patrum et dominorum Cardinalium uoluntate concordi et unica generalis uoti postulatione, Deo auctore, promoti, tanto maior accessit ex uestra promotione iucunditas, quanto subtractum dulce filii nomen, quod uiduitas matris abstulerat, in data nobis noui subrogatione pontificis, non immerito gaudere possimus restitutum: ut paterno nomine piaue prouisionis omen adueniat, per quod expectanti filio et nouercalem quodammodo dudum iniuriam iam perpeso, dicat recte mater Ecclesia: «Fili, ecce pater tuus», in cuius affectione filius aspirabat; et ad patrem e conuerso respondeat filius: «Pater, ecce filius», quem materna ubera lactauerunt, in cuius obsequiis pia maternitas requiescat. 2. Datum est enim uobis e celo Innocentii predestinatum forte uocabulum, quod per uos nocentiam subtrahi consultius innuat, et pie suadeat innocentiam conseruari. 3. Aduenistis quoque nobis et nobilibus Imperii filiis uerus amicus, nouum creatus in Patrem, per quem confidat Imperium uota pacis et suae iustitiae inuiolata seruari. 4. Quapropter ad uenerandum patrem Innocentium, Apostolicae Sedis antistitem, per fratrem Gerardum, uenerabilem magistrum Domus Sanctae Mariae Theutonicorum, magistrum Ansaldum..., Sacri Imperii ac regnorum Hierusalem et Syciliae ammiratum, magistros P. de Vineia, Thadeum de Suessa, magnos curiae nostrae iudices, et magistrum Rogerum Porcastrellum decanum Messanensem, capellanum nostrum, fideles nostros,

quos de latere nostro ad uestram presentiam destinamus, nostrae serenitatis nuntios et legatos, conceptae spiritum deuotionis exponimus, et in eorum affatibus tam deuote quam hylariter nos uestro conspectui presentamus. 5. Idem vero nuntii nostri, tamquam intime conscii uoluntatis nostrae et deuotionis, ad Patrem ueraces erunt interpretes, tam nos quam potentiam nostram, Imperium ac regna nostra, et quicquid in bonis nostris consistit, uestris beneplacitis, ad honorem Ecclesiae ac fauorem omnimodum ecclesiasticae libertatis, quantum cum Deo, saluo iure et honore Imperii ac regnorum nostrorum, possumus, obnixius offerentes, illam ad nos utinam reuerendi patris beneuolentiam relaturi, per quam erga patris debitam reuerentiam ad omnem honorificentiam filialem, totis affectibus ac expertis effectibus, plus quam aliquis alius deuotus filius effundamur.